JUSTA FUNEBRIA

VIRO

NOBILISSIMO, AMPLISSIMO atq; CONSULTISSIMO

DN. ANTONIO BAUMGARTEN

Inclytæ Reipubl. THORUNENSIS CONSULI Gravissimo,

d. XII. Septembr. A.O.R. M. DC. XXCIV.

placidâ morte extincto,


ipsis Exeqviarum solennibus,

die scilicet XVII. Ejusdem Mensis,

persolvebant seqventes.



THORUNII Typis excudit CHRISTIANUS BEKK, Gymn. Typogr.



Pruſſiacas dum trux ſævit Libitina per urbes,
Nec jam, qvod ſvevit, ſerpere geſtit humi:
Sed ſuprema qvatit, ſævo conamine ſternens
Fulgentes meritis & probitate viros;
Tu qvoq; veſanæ mortis crudelibus auſis
Concidis, ô noſtræ nobilis urbis honos!
Si te decrepiti preſſiſſent jugiter anni,
Non nimio luctu res ea digna foret:
Sed tibi adhuc conſtans & vivida conſtitit ætas,
Nec, qvæ te premeret, pigra ſenecta fuit.
In medio annorum voluit tibi ſtamina vitæ
Rumpere, qvæ nulli Parca pepercit avo,
Non te defendit pietas, prudentia, candor,
Qveis ipſum cœlum ſœpe ſubeſſe ſolet.
Non virtus mortem flexit, non terruit ipſam
Purpura; nec tanti ſummus honoris apex.
Non dulces Muſæ poterant ſervare clientem,
Qvem ſic auxilio deſtituere ſuo.
O miſeros homines! o fata immania! cum ſic
E ſummo pulcrè qvod ſtetit ante, ruit
Sicne jaces, ô BAUMGARTI? lugendus in ævum,
Ni ſacra nos nimium pagina flere vetet.
Nunc etenim felix, qvidqvid mortale, beatus
Calcas, & fragilem ſub pede plaudis humum.
Nulla fatiſcentes ætas te trudet in annos,
Nullus ibi dabitur ſqvalidus ore dolor.
Alterius generis te exſpectat purpura, faſces
Atq; alios tibi jam regna ſuperna dabunt.
Perpetuos ibi ages de proſtrato hoſte triumphos,
Nec qvicqvam, qvod te jam male lædat, erit.

l. m. f.

M. CHRISTOPHORUS Hartknoch/
Gymn. Prof. Publ.

Crudeles Divæ, Lacheſis, Clotho, Atropos, eheu,
Qvis finis veſtri & qvando furoris erit?
Qvando hominum lacrymis veſtra exſatiabitur ira?
Deſinet aut vitæ qvando ſecare dies?
Munera læta ſolent Divi mortalibus ægris
Promere; Vos luctum triſtitiamq; datis.
Immanes vetulæ, non dignæ voce Dearum,
Qvis bonus in mundo numina veſtra colat?
Hac æſtate Viros tot claros atq; celebres
Suſtulit in Pruſſis horrida veſtra colus.

Conſu-

Consulibus qvatuor viduata Elbinga (vagatur
Ut rumor) justis fletibus ora rigat.
Hic qvoq; sævitiam tentare audetis atrocem,
Et Patribus nostrum despoliare Forum.
Andream nuper Baumgartum, nobile sidus
Urbis, mersistis sarcophago celeri.
Nunc verò Antonium Baumgart, pietate coruscum
Patrem, doctrinâ judicioq; gravem.
Qvin & Magnifici voluistis lædere vitam
Præsidis, auctura funera funeribus.
Ast Pater Omnipotens, rerum cui summa potestas,
Elusit vestros impeditq; dolos.
Et magnum virtute Virum, Patriæq; Columnam
Servavit. Pro qvo gloria summa Deo!
Vivat Præconsul, vobis ringentibus, iste!
Vivat! sit felix incolumisq; diu!
Contentæ sitis tot luctibus atq; qverelis,
Parcite post reliqvis Patribus, atra cohors.
Qvid loqvor? Haud Parcarum est exorabile numen.
Nec juvat incassum fundere verba viros.
Alme Pater rerum, vitæ mortisq; benigne
Director, cujus turba redemta sumus,
Sit satis irarum, Viduam solare jacentem,
Et repara rursus publica damna Fori.
Natos & Natas serva, curamq; paternam
Cunctorum sveta pro bonitate gere.
Tu verò Consul, fueras qvi gloria nostræ
Urbis, in ætheriis gaudia sume plagis.

Lmq; apposuit dolens
WENCESLAUS JOHANNIDES,
Gymn. Thor. Prof. Publ.

Wer wol gelebet hat / der kan nicht böse sterben /
Nichts mehrers hat ein Mensch von allem in der Welt /
Auch keinen bessern Schatz verläst Er seinen Erben /
Als wenn Er nach dem Tod' ein gutes Lob behält.
Wir hören Kirch / und Schull' insonderheit beklagen /
Des wehrten BAUMGARTS Tod / sie loben seine Treu' /
Und können Ihme recht mit grossem Ruhm nachsagen /
Wie sorglich Er umb Sie alzeit gewesen sey.
Das Rath-Haus seufftzt Ihm nach / die Bürgerschafft daneben /
Der / wegen Gottesfurcht / Fleiß / Demuth / Redligkeit /
Des Nestors graue Jahr' und Zeiten solt' erleben /
Den nimbt der Höchste weg in seiner besten Zeit.
Drum klagen dies voraus die hochbetrübten Seinen /
Allein / Ihr Liebste wist / was GOtt der Höchste schafft /
(Komts Euch gleich sauer vor) dawieder hilfft kein Weinen /
Der linder' euer Leyd / durch seines Geistes Krafft /

Herr

Herr Baumgart lebet dort / und wird auch hier auff Erden/
So lange Tugend gilt / auch leben in der Welt/
Von Tugendliebenden wird/Er erhoben werden/
Biß dieses Welt-Gebäud' in eiren Hauffen fält.

Mitleidende auffgesetzt von

Michael Bapzihn.

SIc abit & BAUMGART nostri pars magna Senatûs
Vir probitate gravis judiciôq; valens.
Vix anni spatiò præclari stemmatis hujus
Parcæ tres nobis eripuêre viros,
Qvi prodesse diu poterant Patriæq; suisq;
Funere submersi jam exanimesq; jacent.
Musis heu! nostris sic fervent funera, ut annus
Nullus ab invisa clade rogoq; vacet.
Patribus extinctis, Functorum ut pignora serves,
Et crescant Patriæ, qvæso, benigne DEUS!

Condol. appos.

GEORGIUS LEHMANNUS, *Gymn. Coll.*

HEu! qvæ Thorunium rursus mutatio vexat,
Dum rapit egregium mors truculenta Virum.
Ast hoc non mirum: namq; ipsa urbs læta Naini
Jam teneri juvenis funera tristis habet.
Ut vero Christus lacrymas abstersit obortas
Matri, sic mœstis gaudia multa dabit.

Piè defuncto Consuli paucula hæc
properanter apposuit.

MICHAEL KALINSKI, *Præc. Gymn. Class.*

CUm Dea sæva furit violenter, & ostia pulsat,
Tunc Domus, ah! subitò concidit atq; ruit.
Exemplum præstat nobis BAUMGARTIUS ipse,
Qvem luctus inter Mors varios rapuit.
Hic celebris qvondam Consulq; fidusq; Scholarcha
Existens, cecidit nominis umbra sui:
Ast viget in terris, & fama manebit in ævum;
Hunc vixisse Virum Nobilem & eximium.
Singultus igitur tragicos nunc sistite amici,
Astra tenent animam, corpus humo tegitur.

Mœstus apposuit

JOHANNES BURSCHÖT, *Gymn. Coll.*

CUria Consilium sincerum, & Patria Curam
Magnam BAUMGARTI sensit abundè satis:
In cœlo reqviem, qvò cœpit tendere, qværit,
Vadat, & in Christo, qvod petit, inveniet.

Lugens apposuit.

CHRISTOPHORUS WOYT, *Præcep. Class.*

